



~~Ed. 65~~

1) Polarius, Arminius

nicht 21 - 25)

Ed 65

nicht
verfügbar
nicht PK



Disputationum Theologicarum
SECUNDA,
De
DEO ET TRI-
NITATE.

Cuius theses,
Auspice CHRISTO
In illustri Academia Iulia,
Sub moderamine
Reuerendi & Clarissimi viri,
D. HENRICI BOETHII, S.S. Theo-
logiae professoris ordinarij
insignis,
Exercitij gratia defendere conabitur
WILHELMVS RANDERMANNVS
Vestphalus.

23. Iulij. Ed 65
HELMAESTADII,
Typis Iacobi Lucij, Anno 1603.



Henrich Boethius



Reuerendis, atq; Clarissimis viris, doctrina &
pietatis Zelo maximè conspicuis,

Dn: M. G O T F R I D O H E S H V S I O:

&

Dn: M. P A V L O R E I C H M A N N O:

huic apud Borchtorpienses: illi Ecclesiarum apud
Mindenses Superintendentibus ac Pasto-
ribus vigilantissimis,

Nec non

Excellenti viro Domino

M. I O H A N N I A V E R B E R G I O I. V.

*insigniter peritissimo, ciuitatisq; Min-
danae Secretario fidelissimo;*

Et Doctissimo viro Domino

M. I O H A N N I à Berinckhausen Scholae

ibidem Reçtori dignissimo.

Patronis & fautoribus suis summo
pietatis studio colendis:

Has

*De Deo Theses in grati animi, debitaq; ob-
seruantia μαρτύριον*

Offert & inscribit

Respondens.

Theses.

DE DEO ET TRINITATE.

I.



Nomen Deus vel è græco θεός est, aspirata in tenuem commutata; vel à græco δέος, nō quod, vt ille ait, primus in orbe Deos timor fecerit: sed quod vt summum numen sit timendū à quauis creatura, seu quod vt summo rerum omnium conditori, gubernatori, atq; benefactori, scelerumq; vltori, timor & reuerentia debeatur: quidam à ἑδξ deductam vocem putant, quod omnes res non tantum intueatur & inspiciat, omniaq; ipsi etiamsi densissimis tenebris immerfa, sint resupina: sed & quod omnia pro liberrima sua voluntate moderetur, & gubernet vel secundum suam Iustitiam, vel gratiam, & paternam clementiam: Quidam ab Hebræo Daj, q̄ vox sufficientiam notat, deriuatum arbitrantur, quod non tantum sit αὐτάρκης & rebus nullis, cum quo ad esse, tum & ad benè esse op^o habeat: sed quod omnibus reb^o p̄ suo beneplacito, suam sufficientiam largiatur, & subministret.

2. Cæterum noticia Dei est vel generalis vel specialis. Generalis quæ partim homini natura inest: partim ex omnium De noticia naturali. & singularum rerum creatarum ordine, vsu, numero, magnitudine, efficacia, perpetuitate, ornatu, & pulchritudine, motu, proprietate, propagatione, admiranda gubernatione, & conseruatione &c. Inprimis autem hominis excellentia colligitur. Vt enim cum in coelo, tum & corporibus coelestibus multa sunt, eaque admiranda, quæ numen aliquod esse, quod ea omnia moderetur & gubernet, docent: sic neq; in sublunari & Elementari hac mundi regione, eius documēta, eaq; euidentissima desunt. De hac Dei agnitione agit D. Apostolus, Actor. 14. 17. Rom. 1. & 2.

A 2

3. Et

3. Et hæc Dei noticia omnibus omnium nationum hominibus natura inest, ab ijsq; intelligitur, etiam ijs qui de vero Deo per specialem in scripturis Dei reuelationem, certi nihil cognouerunt. Eiusmodi enim quandam Dei noticiam naturalem in omnibus hominibus, etiam post lapsum reliquam esse, testatur 1. scriptura sacra Rom. 1. & 2. Deinde omnium hominum cõmunis consensus. Nulla enim gens vnquam tam immanis & barbara fuit, quæ non statuerit certò esse Deum. Præterea omnium saniorum Ethnicorum testimonia, quæ vel eos qui sint ne Dij dubitarent, vel eos esse pernegarent, suis Rebus publicis & agris eiecerunt. Postremò multiplex illa Idolatria, & Deum colendi ratio omnium quæ sub sole sunt, gentium, omniumq; rerum originem, aut successum & euentum felicem ad suos Deos, eosq; vel vniuersales vel particulares seu peculiare referentium. Valeat itaq; Flacius & qui eum sequuntur, cum profano suo commento, quo hominem omni noticia Dei naturali spoliare, & raras humanæ mentis tabulas, Ecclesiæ Christi obtrudere conatur.

4. Atque hæc noticia non tantum quod sit verus aliquis DEVS, sed & quadantenus qualis sit, cum in sese, tum & erga suam creaturam, & potissimum quidem rationalem & quod vicissim à sua creatura agnoscendus & colendus sit, docet. Nam & de summa Dei sapientia, bonitate, omnipotentia, quod omnem impietatem & Iniustitiam odio habeat, ac scelerum vindex sit, concionatur, & testatur: Et ad cultum benefactori debitum creaturam rationalem obligat, & obligatam docet, Rom. 1. & 2.

5. Vt autem in omnibus pariter hominibus inest, ita quo ad ipsam noticiam vera est, neq; vllò modo reprehendenda: quanquam quo ad praxin, siue noticiæ ad obiectum aliquod applicationem, atq; accommodationem, & variorum Idolorum gentilium commenta à vero aberret, & deuia sit, & proinde

inde multis modis reprehensibilis, quod tamen non noticiæ,
sed corruptorum hominum ea abutentium, & sinistrè accom-
modantium, vitium est.

6. Ac veram quidem esse liquet cum ex ipsius Pauli Actor.
17. testimonio: tum quod idem eandem veritatem, & cog-
nitionem Iusticiæ Dei appellat Rom. 1. & 2. Tum quod eandem
veri Dei noticiam, quæ ipsum creatorem agnouerit, esse, do-
cet ibidem Rom. 1. tum & sanctorum patrum Iudicio, qui hu-
ius noticiæ testimonio, aduersus paganos vsi sunt ad veritatis
confirmationem. Eandem a. in applicatione à vero aberrare
& culpabilem esse docet, idem Rom. 1. Quum n. Deum cogno-
uerunt, vt Deum non glorificarunt, neq; gratias ei egerunt,
sed mutarunt gloriam incorruptibilis DEI in efformatam
imaginem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum,
& reptilium. Mutarunt veritatem Dei in mendacium, & co-
luerunt, ac seruiuerunt rebus creatis præterito creatore, qui
est benedictus in secula: Et propterea tradidit eos Deos
in mentem reprobam, vt facerent quæ minimè conueniebat.
Atq; ob hanc noticiæ huius in applicatione ad obiectum ali-
quod à vero aberrationem, rectè in psalmo dicitur, omnes Dij
gentium Idola, seu vt vulgata versio habet, Dæmonia sunt,
non propter noticiam, sed improbam corruptorum hominū
noticiæ veræ, ab obiecto vero, deflexionem.

7. Est autem præterea hæc Dei noticia naturalis i. dubia seu
incerta, Deinde verò & mutila, ac imperfecta. Dubia ac incer-
ta quidem, quod cuiusnam gentis, & populi, imò quodnam
in gente vna & eadem, in tanta Deorum suorum multitudi-
ne, summum numen, & quinam verus Deus: tum & quæ cul-
tus eius recta ratio sit, ignorat. Vnde tanta in omnibus gen-
tibus *πολυθεια*, & in ea tamen turba, cui primæ deferenda sint,
ignorantia. Mutila autem & imperfecta est, quod etsi in diui-
nitate vnum aliquod summum Ens agnoscit & fatetur, in vni-

tate tamen essentia Trinitatem personarum nequaquam agnoscit. Et quicquid de Dei voluntate & attributis aliquomodo videt, ut quod Deus sit potens, bonus, omnis boni causa, quod sit Iustus, scelerum vindex &c. Et quod colendus sit, omnino sit imperfectum, cum & Legem integrè & perfectè non agnoscat, & Euangelij doctrinam prorsus ignoret.

8. Quanquam etiã hæc Dei noticia rationali creaturæ aliquam Dei noticiam, & quoad essentiam & quo ad attributa essentialia seu genuina obijcit, in hac tamen natura corrupta, ad plenam earum cognitionem nunquam perducit, sed propterea reliquum est, ut doceat & quod sit Deus, & qualis sit: ac creaturam rationalem, ut suo factori studeat esse quàm similima, excitet: Ac imperfectione noticiæ huius monstrata ad plenioram & perfectiorem eius inquisitionem, & studium excitet, & stimulet Actor: 17. Aut hominem in hoc inquisitionis studio segnescentem atque deficientem, in Iudicio Dei inexcusabilem reddat. Atque hæc de noticia Dei naturali,

DE NOTICIA DEI REVELATA.

9. Specialis Dei noticia est, quæ ex Dei verbo, nobis per CHRISTUM, Prophetas, & Apostolos diuinitus reuelato, ac per Spiritus sancti amanuenses & Christi testes fideles conscripto innotescit, Spiritus sancti efficacia in cordibus credentium confirmatur & obsignatur, quæ certius & perfectius docet, & quod sit Deus, & qualis, quæ sint eius cum in vniuersam creaturam, tum præcipuè in genus humanum potissimum verò in suam Ecclesiam beneficia, qui cultus, & quomodo ipsi placeant, qui verò & quomodo displiceant, hominibus propterea, ut æternam salutem inde consequantur, diuinitus perfecta.

10. Sitne verò Deus quispiam duplici argumentorum genere, etiam secundum scripturas confirmatur. Generali altero,

terro, altero verò speciali. Generale illud est vel vniuersale vel particulare. Illud est, quod ex totius vniuersi : Hoc autem quod ex peculiari hominis contemplatione sumitur, & à quouis hominum genere intelligitur. Priore igitur modo Deus quispiam esse agnoscitur, cum ex rerum omnium creatione, tum & earumdem gubernatione atq; sustentatione. Creatum enim esse vniuersum mundi theatrum ab vno aliquo omnium rerum conditore, vel hinc manifestum est, quod causarum efficientium progressus non sit infinitus, neque in infinitum pateat. Sed omninò necessum sit, vt in vna aliqua prima causa subsistamus.

11. In ipsis autem rebus creatis conspicitur, cum aptissima omnium rerum dispositio, & ordo: tum & ornatus singularum rerum peculiaris: tum proprietas, vsus, atq; finis rerum singularum, singularis, quæ non nisi à sapiente aliquo opifice, existere possunt. In rerum autem conditarum sustentatione & gubernatione conspicitur, cum rerum conditarum & specierum in indiuiduis conseruatio, & propagatio: tum vigoris atq; fluxuum perpetuitas, & fontium, atq; fluminum perennitas, tum & constans temporum vicissitudo: tum & corporum cœlestium in motu regularitas: politicæ societatis constitutio, & conseruatio, & in illis ac aduersus illas scelerum poenæ admirandæ, & quæ sunt eius generis alia.

12. Peculiariter autem ex hominis contemplatione, & ex singularum eius partium, animæ sc: & corporis consideratione, Deum esse colligitur. Sunt enim in illis talia, quæ non nisi à Deo, & potenti numine existere possunt. In ipso corpore sunt ipsa figura, omnium & singulorum membrorum conuenientissimus situs, iunctura optima, figura & vsus cuiuslibet peculiaris & aptus, & mutua omnium sympathia, & officium.

13. In anima verò sunt cum noticiæ de Deo nobiscum natæ, tum & principia & speculabilia, & practica, noticiæ numero-

merorū, discrimen honestorum & turpium, & deniq; consci-
entia ipsa, hominis facta vel approbans, vel condemnans.

14. Specialiter autem **D E V** esse agnoscimus, partim
ex perspicuis scripturę sacrę documentis, partim experientię
testimonio. Prioris generis sunt cum innumera sacrę scri-
pturę testimonia, quę Deum esse docent, à primo Bibliorum
frontispicio vsq; ad calcem eius reliqua: tum & illustres diui-
nitas patefactiones: tum & ipsa oracula, & futurarum rerum
vaticinia, quę res futuras etiam longissimo seculorum inter-
vallo, & spacio remotas, ita vti postea secundum omnes cir-
cumstantias euenerunt, prædixerunt. tum & ipsa mira-
cula cum veteris, tum & noui testamenti omnia, cum qui-
bus Ethnicorum, & aliorum profanorum hominum nihil ha-
bent cõmune: tum deniq; & filij Dei incarnatio, eius concio-
nes, à mortuis resurrectio, & in cœlos ascensio.

15. Posterioris autem generis sunt, cum ipsa Spiritus san-
cti in cordibus fidelium de Deo, & omnium eius cum promif-
sionum, tum & comminationum veritate obsignata, & quoti-
diano rerum euentu confirmata, assensio: tum & Ecclesię &
præcipuorum nonnunquam eius membrorum in medijs peri-
culis defensio, salus & liberatio: tum variarum castigationum
Ecclesię mitigatio, & à manibus hostium vindicatio, tum de-
niq; & hostium Ecclesię, eorumq; consiliorum, & machina-
tionum confusio, retusio, & euersio.

16. Cæterum vox **Deus** in scriptura sacra vsurpatur cum
de creatore, tum & de creatura. De creatura cum vsurpatur,
sumitur vel in bonam vel in malam partem. In bonam vel de
angelis vel de hominibus: In malam autem vel de malis spi-
ritibus, vel de ipso etiam Epicureorum ventre, qui Paulo sunt
λεγόμενοι θεοί.

17. De Deo autem vero vsurpatur vel essentialiter vel per-
sonaliter. Essentialiter cum de tota diuinitate indefinitè v-
surpa-

surpatur: Personaliter autem cum singulas quasque diuinitatis personas notat. Rom. 9. Christus est Deus benedictus in secula.

18. Deus est essentia spiritualis, vnica, æterna, verax, iusta, misericors, omnipotens, pater æternus, & filius imago patris, & Spiritus sanctus à patre & filio procedens, patefacta in creatione mundi, & verbo Ecclesiæ tradito, iuxta quòd solum vult ab hominibus agnosci & coli, & in omnem æternitatem celebrari.

19. Cæterum vnum Deum esse docent Ecclesiæ Doctores, 1. è scripturæ sacre certis pronuntiatis. Deinde certis è natura desumptis argumentis. Deniq; ex Ethnicorum saniorum testimonio, nobis in præsentia primum sufficiat. Vnum autem Deum esse constat 1. ex perspicuis sacre scripturæ enunciationibus, vnum solummodo Deum esse affirmantibus: Deinde ex exclusiuis enunciationibus præter illum vnum plures Deos esse perspicuè pernegantibus: Prioris generis testimonia leguntur Deut. 6. Rom. 3. Ephes. 4. 1. Timoth. 2. Posterioris verò Deut. 4. 1. Cor. 8. ver. 4. & alibi.

20. Est autem Deus vnus non genere aut specie, sed numero & essentia, actionum seu operum quo ad extra identitate: voluntatis vnitatis: & attributorum atque cultus æqualitate.

DE TRINITATE PERSONARVM.

21. In hac verò vnica diuina essentia plures personas esse, & non vnã, certum est, cæterum persona est substantia, indiuidua, viua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio, neque ordinata ad aliud. Græcis est *ὑποστάσις ὑψίστη*, latinis subsistentia. plures autem in diuinitate personas esse liquet. Interdum enim Deus de se vno, vt de pluribus loquitur. Dixit Deus faciamus hominem ad imaginem

B

&

& similitudinem nostram, Gen. 19. Pluit Deus à Domino. Iohan. 10. Ego & pater vnum sumus.

22. Tres autem & non plures in vna illa diuina essentia personas esse constat 1. ex perspicuis scripturæ testimonijs Psal. 33. verbo Domini coeli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Matth. 28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, filij, & Spiritus sancti. 2. Corinth. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Deinde ex perspicuis patefactionibus, quarum maximè illustris est, de qua Iohan. 1. & Matth. 3.

23. Tres autem illæ diuinitatis in vna & eadem essentia personæ sunt, pater, filius, & Spiritus sanctus, inter se coæternæ, & coæquales, eiusdem potestatis, gloriæ, honoris & cultus. Differunt autem inter sese neq; essentialiter, neq; rationaliter, seu ratione tantum, sed realiter. Essentialiter non differunt, sunt enim vnus eiusdemq; essentiæ: Neq; ratione tantum, qua etiam res vna numero, diuerso respectu multiplicatis capax est. Sic enim vnus & idem homo potest esse pater, & filius. Consul pater familias, & imperator seu dux exercitus: sed differunt realiter seu reuera, & reipsa, differentia realitate non in essentia seu natura, sed personis constituta. Alia est enim persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti. Quanquam neq; aliud sit pater, neq; filius, neq; Spiritus sanctus. Alius enim personam, aliud autem naturam & essentiam designat. Facecant igitur qui vel essentia, vel ratione solummodo differre arbitrantur.

24. Differunt autem hæ tres diuinitatis personæ 1. actionibus & attributis characteristicis siue personalibus, siue *ἰδιότροπος ὄντων*. Vt enim pater est *ἀρχόντης*: sic ab æterno genuit filium sibi coessentialem. Psal. 2. filius meus es tu, ego hodie genui te. Filius autē ab æterno à patre genitus est. Mich. 5.

Egref-

Egressus eius à diebus æternitatis: Spiritus sanctus autem ab æterno à patre & filio procedit. Deinde differunt patefactionum diuersitate. Pater enim sese potissimum in rerum omnium creatione reuelauit, & cum in baptismo Christi, tum & eiusdem glorificatione sese cognoscendum præbuit: Filius autem certo & à patre definito tempore humanam naturam assumpsit, & cum resurrectione ex mortuis, tum & ex visibili in coelos ascensione declaratus est filius Dei, & distincta à patre persona: Spiritus sanctus in baptismo Christi in eum specie columbæ descendit, & vt promissum patris à Christo effusus & in flamma ignis apparens, distincta à patre & filio persona cognitus est. Deniq; differunt beneficijs erga genus humanum externis, siue operibus quo ad extra. Pater enim filium suum ad humani generis redemptionem misit, Ioh. 3. Gal. 4. Filius de consilio patris pro genere humano cum agendo, tum & patiando satisfecit. Galat. 4. factus est sub legem, vt eos qui sub lege erant, redimeret; Ioh. 8. si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Spiritus sanctus autem à patre & filio ad Ecclesiam mittitur, vt eam congreget, illuminet, & regeneret, ac accendat in ea motus legi diuinæ congruentes, & vt sit pignus & arrha hæreditatis nostræ, factæq; per filium æterno patri reconciliationis generis humani.

25. Faceſcant igitur Ethnici cum ſua polytheia, cuius hæ videntur fuiſſe potiores cauſæ, i. vt eorum hominum, quos charos & in precio habuerunt, aut à quibus beneficijs affecti ſunt, memoriam conſeruarent, æternitati conſecrarent, & ſuum erga eos ſtadium, & gratum animum oſtenderent. Deinde, vt malos Dæmones, qui ſe pro vero Deo venditabant, vel placerent offenſos, vel beneuolos retinerent. Præterea vt quaſlibet, ex quibus aliquam capiebant vtilitatem, & vſum, ſub religionis cultu comendarent, atq; hinc & feles & ibis & porcum atq; cepe in admiratione eſſe cæperunt. Poſtremò vt

B 2

ſuum

suum quisq; studium, & artem, cum malam, tum & bonam
conspiciorem redderet, ad certi cuiusdam numinis, eius vel
inventionem vel tutelam & patrocinium retulit. Fac escant
verò & hæretici cum veteres, tum & recentes, qui vel vnicam
solummodo in vnica diuina essentia personam agnouerunt, &
trinitatem non tantum oppugnarunt, sed & sarcasticè exagi-
tarunt: vel ex pluralitate personarum, pluralitatem Deorum
perperam collegerunt: vel personarum inæqualitatem, & ea-
rundem vel prioritatem vel posterioritatem, hoc est, quasdam
in ea vel priores vel posteriores esse perperam collegerunt, &
quod de Deo vno ac trino, ac æterna filij à patre generatione
asseritur, sub rationis humanæ captum cogere, & ex eo omnia
æstimare conati sunt. Atque hætenus quidem de essentia di-
uinæ vnitatis & personarum pluralitate, atque differentia, de
eius attributis, sequitur.

DE ATTRIBVTIS DIVINIS.

26. Cæterum attributum diuinum dicimus, quod ad ex-
plicandam, & declarandam Dei naturam, & voluntatem, ei-
dem in sacris attribuitur, aut de eo prædicatur. Attributa
autem hæc vel sunt singularia, & soli diuinæ naturæ propria:
vel sunt creatori cum creaturis communia, & à creaturis ad
creatorem, ad declarandam eius naturam ac voluntatem ac-
cepta & traducta. Attributa porrò singularia aut sunt perso-
nalia, aut essentialia. Personalia quæ & characteristica di-
cuntur, quæ singulis personis conueniunt, de quibus paulo an-
te. Essentialia verò sunt toti diuinæ essentia, & singulis eiuf-
dem personis comunia, ac de Deo partim affirmatiuè, partim
negatiuè dicuntur. Affirmatiua sunt quæ æffirmando: Nega-
tiua quæ negando aliquid de Deo asserunt, atque illa quidem
quidnam sit: hæc verò quid non sit Deus ostendunt, prioris
generis sunt, bonum, iustum, misericordem: posterioris verò
immortalem, incorruptibilem &c. esse.

27. Vt

27. Vt autem ipsa diuina essentia tota est in tota diuinitate, & in singulis eiusdem personis tota: sic & ipsa attributa essentialia toti diuinitati & singulis eiusdem, personis tota insunt. Ac proinde nonnunquam absolutè, & quatenus totius sunt diuinitatis: Nonnunquam autem relatiuè seu personaliter considerantur, & quasi personalia fiunt, quatenus scilicet in singulis personis determinata considerantur.

28. Differunt autem ab ipsa essentia diuinitatis simplicissima non re ipsa, sed *ἴπινóια* & *λόγω*, à seipsis autem & *λόγω* & definitione. Hæc igitur attributa ita Deo attribuuntur, vt nullam in eo compositionem accidentium, partium aut membrorum concretionem ponant; Qualis enim Deus est, talis simplicissima sua essentia est. Et in Deum non cadit accidens.

29. Essentialia hæc attributa sunt vel immanentia, vel transeuntia. Immanentia quæ in ipsa diuinitatis essentia terminata, foras in operis alicuius in creaturis productione sola non eminent, vt æternitas, infinitas. Emanantia siue transeuntia verò sunt, quæ foras emanant, & in opere aliquo erga creaturas sese exerunt, & conspicienda præbent, licet non semper, interdum tamen, imprimis post rerum creationem. Eo enim respectu, tantum emanantia dicuntur, licet etiam alias extra hanc emanationem in Deo sunt perfectissima.

30. Quamobrem etiam dupliciter considerari solent, primò quidem absolutè, quatenus scilicet sunt in Deo præter respectum ad creaturas: Deinde verò relatiuè, quatenus scilicet in opere ad creaturas conspiciuntur.

31. Et hæc sunt communicabilia per sese: illa autem per aliud, per se quidem cum sine interuentu alterius attributi: per aliud autem cum alterius attributi interuentu, seu altero quodam attributo mediante communicantur, & alteri communicata prædicantur.

B 3

32. Atq;

32. Atq; ita per sese communicantur, Dei sapientia, iusticia, bonitas, misericordia &c. Interuentu autem alterius attributi, æternitas, infinitas &c: Sic enim Christo, etiam quo homo est, potestas æterna, & potestas faciendi iudicium infinita data legitur.

33. Communicantur autem vel creaturæ rationali generaliter, vel humanæ Christi naturæ singulariter, magna tamen communicationis differentia. Rationali enim præter humanam Christi naturam, creaturæ communicantur tantum emanantia diuinitatis attributa, & quidem tantum analogicè, citra scilicet diuinæ naturæ communicationem talem, qualis in personali duarum in Christo naturarum vnione cernitur, & ad certam communicationis mensuram, quæ communicatio tamen vera est. Humanæ autem Christi cum huius, tum & illius generis omnia attributa verè communicantur, idq; per & propter vnionem personalem, citra mensuram (qualis enim est vnio, talis est & communicatio) atq; ita à priorè illo communicationis modo prorsus diuerso. Atq; hætenus de priorè diuinorum attributorum genere.

34. Posterius attributorum diuinorum genus est, quod à creaturis desumptum, creatori attribuitur, propter similitudinem quandam creaturæ ad creatorem per metaphoram. Atque hæc attributa desumuntur partim ab homine: partim ab alijs creaturis. Priori modo prædicantur de Deo cum hominis partes, vt anima: tum & corporis humani membra, vt facies, vultus, oculi, manus, brachia, pedes: tum & sensus tam interni quàm externi, vt memoria, recordatio, audire, videre &c: Tum & affectus cuiusmodi sunt, amor, ira, odium, pœnitentia: tum & alia homini conuenientia, vt ascendere, descendere, sedere, surgere.

35. Ab alijs rebus creatis traducta sunt, quod appellatur, petra, turris, clypeus, quod ei alæ, vmbra alarum, & similia tribuuntur. Ex quibus falsò tamen Anthropomorphitæ Deum

um humanis membris constare collegerunt : Quod si enim prioris illius classis epitheta, **DEI** ab homine desumpta propriè sunt accipienda, propriè itaque & citra figuram necessum est, vt & posterioris generis capiantur quod si fiat, non homo solummodo, sed & monstrum, vt sit Deus oportet.

DE ACTIONIBVS DEI.

36. Hactenus de Dei attributis, de actionibus sequitur. Est autem actio **DEI**, operatio **DEI**, quam vel in seipsa consistens, vel foras ad creaturas prodiens diuinitas, certi alicuius operis editione sese conspiciendam præbet.

37. Vt autem attributa : sic & actiones Dei sunt duplices, immanantes & transeuntes. Illæ in ipso Trinitatis complexu, seu intra ipsam diuinitatem terminantur, & finiuntur, cuiusmodi sunt gignere, nasci, & procedere. Hæ verò ad creaturas emanant.

38. Transeuntes sunt, vel generales, vel speciales, vel singulares. Generales Dei actiones sunt, quæ à gratia Dei generali, & omnibus rebus conditis communi, emanant, cuiusmodi sunt, cum creatio, tum & prouidentia, tum & aliæ huc pertinentes Dei actiones, quæ in vniuersæ creaturæ sustentatione, gubernatione, propagatione, defensione, tum & monarchiarum cum constitutione, tum & earundem conseruatione atque propagatione, tum deniquè & de gente ad gentem translatione &c. conspiciuntur. Speciales autem quæ & sacræ dicuntur, sunt, quæ à speciali Dei gratia emanantes, erga homines exercentur, & in Ecclesia cum collectione & gubernatione, tum & sanctificatione atq; glorificatione animaduertuntur, atque hinc sacramenta actio Dei sacra appellantur. Singulares autem vna & sola Christi incarnatio. De quibus singulis postea peculiariter & seorsim in suis locis. Ac de his **DEI** externis actionibus est notanda regula:

gula: opera diuinitatis ad extra sunt indiuisa, seruata tamen proprietate cuiuslibet personæ.

DE VOLVNTATE DEI.

39. Haftenus de actionibus diuinis, de voluntate Dei sequitur. Cæterum voluntas Dei est, certum decretum, & sententia, & mentis diuinæ per certum verbum, & alia infallibilia voluntatis seu decreti ipsius documenta expressio, qua ostenditur, & qualis ipse sit, & quibus delectetur cultibus, & qualem velit esse creaturam rationalem, diuinitus per sanctos Dei ministros reuelata, vt homines, & de Dei erga se affectu certò erudirentur, & cum quid de Deo statuendum, tum & quomodo colendus sit, tum & qua via ad salutem perueniendum, & quid in ea vel sequendum vel fugiendum sit, certò scient, & cuius certò constaret.

40. Distinguunt hanc quidam in voluntatem signi & beneplaciti. Voluntatem signi eam vocant, quæ nobis in scriptura certis cum præceptis, tum promissionibus, tum & comminationibus, tum & verbo additis, cum iræ tum & gratiæ signis, exemplis, atq; documentis, patefacta est, quam alij voluntatem Dei reuelatam appellant. Appellationis eam rationem afferunt, quod certo verbo, tanquam voluntatis diuinæ nuncio & interprete, siue signo, reuelata sit.

41. Beneplaciti autem ipsis ea Dei voluntas est, quam nobis non reuelatam esse contendunt, quam alij vel arcanam vel absconditam appellant. Quod aliquo modo indicauit, esse referendum ad voluntatem signi: Quod autem sibi soli, vt secretum, & arcanum retinuit, id ad voluntatem beneplaciti pertinet, inquit Petrus Martyr.

42. Atque has Dei voluntates vt differentes: sic & contrarias, aut contradictorias sibi mutuo opponunt, atque ita quidem, vt quamuis reuelata Dei voluntas ex certo verbo, &
alijs

alijs documentis manifesta sit, ex eis tamen de abscondita & arcana tantum probabiliter, & non certò concludi aut statui possit, Ita enim Petrus Martyr: Dicimus verum esse, Deum non velle, vt homo pereat quo ad signi voluntatem. At si alteram illam potentem, & efficacem voluntatem spectemus, certè negari minimè potest, eum voluisse hominem interire.

43. Etsi autem inperuestigabiles diuini consilij diuitias, & vias non possimus negare aut scrutari, absit tamen, absit inquam, vt quo ad salutis nostræ rationem, ac viam, aliam Dei voluntatem, quàm qualem in suo verbo declarauit, esse putemus. Quanquam igitur sunt quædam in voluntate Dei arcana, de quibus formula concord: in loco de prædestinatione agit, ea tamen cum voluntate Dei reuelata neutiquam pugnare possunt. Duplicitatem enim Deus, etiam in rationali creatura odit, execratur, & punit, eiusque odium etiam Ethnicorum mentibus indidit.

44. Vt igitur abdita illa diuini concilij adyta penetrare non possumus: Sic Deum absconditum à Deo reuelato alium neutiquam fingere, aut huius ab illius voluntate aliam, in salutis nostræ negocio, esse putare debemus. Sed certò statuere, eam Dei voluntatem, & voluntatis declarationem esse, quam certo suo verbo nobis reuelauit, & sacramentis ob-
signat.

45. Est igitur vna Dei voluntas certo verbo, & in verbo propositis documentis reuelata, quæ tamen ob respectum diuersitatem, est partim iusticiæ, partim gratiæ Actor. 20. Illa est, qua & suam sanctitatem, atq; iustitiam, & qualem velit esse creaturam rationalem declarat. Atq; hæc in lege eius sanctionibus, comminationibus, promissionibus, ac vtriusq; exemplis patefacta est.

46. Hæc autem & qualis sit & esse velit erga miserum & lapsum genus humanum ostendit, & ex Euangelio, eius dul-
cissimis

C

cissimis

cissimis promissionibus, gratiæ diuinæ documentis illustribus:
Imprimis autem gratuita filij Dei incarnatione, & pro toto
humano genere satisfactione: tum & promissioni gratiæ addi-
tis signis: manifestissimè, & indubitanter addiscitur.

47. Confirmat eandem maximè iusiurandum ipsius Dei
Ezech. 18. & 33. Inuitatio omnium hominum ad acceptandum
diuinitus oblatam gratiam: Sacrosancti ministerij in salutem
omnium hominum institutio: ac in illo omnibus oblata &
promissa salus, gratiæ diuinæ supra delictum commendata ex-
cellentia: de gratia diuina in filio promissa condemnata du-
bitatio: & ipsa denique diuinæ gratiæ in exemplis conspecta
declaratio.

48. Ut itaq; doctrina & Legis & Euangelij, quo ad Dei
& nostri agnitionem, & salutis viam, nobis plene patefacta est:
sic & in reuelatione voluntatis diuinæ, quæ ex illis nobis in-
notescit, acquiescamus, & consilio Dei ex illis plenè cognito,
de voluntate Dei occulta anxie & sollicitè non laboremus.

49. Etsi enim imperuestigabilis est profunditas sapientiæ
& scientiæ diuinæ, nos tamen mentem & consilium DEI de
hominum salute, vt in scriptis Prophetis & Apostolicis no-
bis plenè reuelatum, ex scripturis diuinitus inspira-
tis tenemus, quod ne aduersus nosmetipsos asper-
nemur, videndum est accuratè. Valeant igi-
tur aliter sentientes, cum profanis
suis opinionibus. Atq; hæctenus
de Deo in genere.



Doctif-



Doctissimo Domino Respondenti
GVILIELMO RANDERMANNO,
populari & amico carissimo.

Magna bonis placuisse viris est gloria; ma-
Quæ venit à viuo gloria ritè DEO. (ior
Totus in hoc; virtute viris tua facta pro-
Niteris, & verâ te pietate, DEO. (bare
Hinc virtute tuâ magnus; pietate sed ipsâ
Maior in æternâ sede futurus eris.

Honoris ergò F.

Ioannes Schirike Osnabrug.



AD EVNDEM.

Heu mihi, qui status est, & qualia tempora rerum,
Ad finem mundo iam properante suum?
Omnia plena malis; nusquam quò lumina veritas,
Præbita vesani causa furoris abest.
Vndiq; quassatur miris Ecclesia turbis:
Quodlibet inferni iam draco tentat atrox.

C 2

Nam

Nam, quibus argutis insana Sophistica nugis
Sit cordi solùm, concitat ille modò.
Hi telis Satanae peracutis acriter instant,
Acriter & pugnant fraudibus atq; dolis.
His verò obniti, telisq; opponere tela,
Quemlibet, ex sacris fontibus hausta, decet.
Hæc tibi iam Clarus, G V I L I E L M E, B O E T H I V S offert,
Perspicua in certas arte relata theses.
Fortiter his igitur C H R I S T I pro nomine pugna,
Grata polo res hæc, grata erit atq; solo.

Jacobus Schreianus VVulfesburg. Amico
ac commensali suo Chariss. F.

F I N I S.







